

Liber Mo-  
nast. de  
Stanlow.

dit Honorem *VVidoni de Lavall*, qui tenuit ad tempora Re-  
gis Stephani, quo tempore intravit Henricus ille in Baro-  
niam, & intercedente rege, pro 150 libr. composuit cum  
*VVidone*. Henrico huic natus est filius Robertus,  
qui nulla suscepta prole reliquit Albredam *Lisours*  
sororem, ex parte matris non ex parte patris heredem,  
quia non alium tam propinquum habuit, unde illa post  
Roberti mortem utramque hereditatem fraternam de *La-*  
*cy*, & paternam de *Lisours* occupavit. Hæc sunt ipsa  
verba libri *Monast. de Stanlow*. Hanc duxit Rich.  
*Fitz-Eustach*, id est, Filius Eustachii, Constabula-  
rius *Cestriæ*, cujus posterii *Laciorum* nomen sibi  
adsciverunt, & Comites *Lincolniæ* floruerunt.  
Per *Laciorum* vero ultimi filiam formula tran-  
scriptionis ornatissima hæc hæreditas tandem  
devoluta est ad Comites *Lancastrenses*, qui ca-  
strum plurimum adauxerunt, uti etiam Regina  
*Elizabetha* magnis impensis instauravit, sacel-  
lumque pulchrum inchoavit. Locus principum  
cæde & sanguine infamis, suo enim sanguine  
cruentavit *Thomas Comes Lancastriæ*, qui *Lan-*  
*castrensi* primus uxorio jure possedit. Illum  
enim Rex *Edwardus Secundus*, ut se à rebellione  
& contemptu vindicaret, salutari severitate hic  
capite truncavit, quem tamen in *Sanctorum* nu-  
merum retulit vulgus. Hic *Richardus Secundus*  
Rex *Angliæ*, quem *Henricus II* in regno spolia-  
vit, fame, frigore & inauditis tormentis scelera-  
te sublatus est. Hic etiam *Antonium Comitem*  
*Rivers* Regis *Edwardi Quinti* avunculum, & *Richardum Grey*  
Equitem auratum ejusdem Re-  
gis fratrem uterinum *Richardus III* inno-  
centes capitali supplicio affecit. Meuebat  
etenim tyrannus, ne illi viri erecto animo, sibi ad  
tyrannidem grandiantem via intercluderent. *Abbat-*  
*iam* quam hic religiosus *Lacii*, & *Hospitale* quod  
pauperibus *R. Knolles* posuerunt, sciens omitto,  
cum vix rudera jam ostendantur.

Thomas  
Comes  
Lanca-  
striæ.

Aberford

Cary  
Castle.

Barwic in  
Elmet.

Hessel-  
wood.

Vavafores  
five Val-  
vafores.

Petres  
Post.

Prælium  
ad Tow-  
ton.

A L E G E O L I O relicta *Shirborna* oppidulo fre-  
quenti, quod à limpido fluviolo nomen accepit,  
& *Athelstanus* Rex *Archiepiscopis Eboracen-*  
*sibus* concessit, militari Romanorum via alta  
eminentia aggesta ad *Aberford* pervenimus: qui  
viculus est situs ad viam illam militarem, & aci-  
culis conficiendis, quibus primas mulieres de-  
ferunt, celebris. *Coc* fluviolus (*Cokarus* in libris  
concepitur) hic subterlabitur, & in descensu ad  
fluviolum vetusti castri radices, quod *Castle Cary*  
vocant, cernuntur. Vix duum hinc milliarium  
intervallo ad *Cocari* fontes *Barwic in Elmet* sedet,  
*Northumbriæ* regum olim, ut ferunt, villa reg-  
gia, quam muris circumseptam fuisse vel rudera  
loquentur. Ex altera parte *Hesselwood* locatur pri-  
maria sedes claræ & inprimis antiquæ familiæ  
*Vavaforum*, qui ex munere (regii enim olim *Val-*  
*vafores* erant) hoc nomen assumpserunt, & postre-  
mis *Edwardi Primi* temporibus *Guilielmus Vava-*  
*for* ad Comitum Parlamentaria cum reliquis regni  
Baronibus evocatus erat, ut in ipsis quas vocant  
*Summonitionibus* videre licet. Subest huic clarissima  
illa *Lapicædina*, quæ *Petres Post* dicta, eo quod sa-  
xis inde excisis liberalitate *Vavaforum* templū il-  
lud magnificentum *S. Petri Eboraci* fuerit substructū.

Ab *Aberfordia Cokarus* fluviolus statim *VVher-*  
*sum* fl. quasi mæstior petit, civilia detestatus bel-  
la, ex quo Anglorum sanguine cruentus fluxerit.  
Ad ejus enim ripam juxta *Towton* viculum rusti-  
*Britannia*.

canum, vere fuit *Pharsalia* nostra. Nullo unquam  
in loco tantum virium, tantum nobilitatis *Ang-*  
*lia* nostra vidit, centum scilicet hinc illinc mil-  
lia, nunquam acriores, nunquam alacriores par-  
tium duces, qui *Dominico Palmarum MCCCCLXI*,  
instructis agminibus, collatis signis concurre-  
runt. Cumque anceps pugna in multum diei va-  
rium certamen extraxisset; *Lancastrenses* impe-  
tum non sustinentes, quibus res nulla magis exitio  
fuit, quam ipsius exercitus incomposita mag-  
nitude, datis tergis effuse fugerunt: adeoque  
concitato cursu cædi instantes. *Eboracenses* in-  
sequuti sunt, ut nobilibus plurimis occisis, xxx  
quinque Anglorum millia eo die fuerint deside-  
rata. Pauloque inferius est juxta *Shirburn* ad *Hud-*  
*ston* viculum *Latomia* nobilissima, è qua lapides  
cum primum excisi, sunt molliores, cum tamen  
vento & aëre indurantur, sua duritie solidissimi.

Latomia.

Ex *Cravena* montibus descendit etiam *VVherf*,  
five *VVharf*, Saxonice *Guey*, & *Aro* æquidistans  
diu desertur. Si quis nomen detortum existimat  
ex *Guer* dictione, quæ *Britannis Rapidum* sonat,  
næ illius opinioni fluminis natura suffragatur,  
prærapida enim celeritate fremens, quasi contu-  
max, & iratus devehitur, saxisque crebris exa-  
speratur, quæ non sine admiratione provolvit,  
præsertim cum hybernis aquis intumuerit. Ipsa  
etiam ætate perinfestus est, quod ipse nec sine  
meo periculo sensi, cum primum has regiones  
perlustrarem. Saxa enim habet adeo lubrica, ut  
equi vestigia fallant, aut unda rapidior subdu-  
cat. Cursu satis longo, quem quinquaginta fere  
pass. mill. à fontibus ad *Ousam* conficit, obscura  
tantum perstringit oppidula, delapsus per *Kilne-*  
*sey Cragge* cautem omnium quas vidi editissimam  
& præruptissimam *Burnsall*, ubi pontem è saxo  
jam construxit *Guilielmus Craven* Equestri digni-  
tate & Senator *Londinensis* hinc oriundus, qui  
etiam in proximo pio studio & in patriam bene-  
fico nuper posuit, & *Barden-Toure* Comitis *Cum-*  
*berlandiæ* turrulam, ubi circumquaque est o-  
pima venatio, *Bolton* ubi olim *Monasteriolum*,  
*Bethmesley* sedem celebris familiæ *Claphamorum*, è  
qua fuit *I. Clapham* bello civili inter *Lancastren-*  
*ses* & *Eboracenses* vir admodum bellicosus. In-  
de *Ilekely* accedit, quam ex ratione situs ad *Ebo-*  
*racum* ex *Ptol.* & nominis affinitate *OLICA-*  
*NAM* judicari. Certe vetustum esse oppidum  
(præter columnas Romano opere exsculptas in  
cæmeterio jacentes & alibi) Severi ætate restitu-  
tum opera \* à *Virii Lupi Legati* & *Proprætoris*  
*Britanniæ* edocet hæc nuper juxta *Ecclesiam* ef-  
fossa inscriptio:

Wherf fl.

Kilne-  
sey  
Crag.

Olicana.  
Ilekely.

\* Hujus  
meminit  
Vlpianus  
lib. 2. de  
vulgari &  
pupillari  
substitu-  
tione.

\* Legato.  
\* Propræ-  
tore.

I M. SEVERVS.  
AVG. ET ANTONINVS  
CAES. DESTINATVS  
RESTITVERVNT, CV-  
RANTE VIRIO LVPO \*LEG.  
EORVM \*PR-PR.

Cohortem secundam Legionum hic egisse te-  
statur hæc etiam Ara, quam ibi vidimus sub gra-  
dibus domicilii positam & sic à Præfæcto Co-  
hortis *Secundæ* *Lingonum* inscriptam *VER-*  
*BEIÆ*, *Nymphæ* fortasse, vel *Dææ VVherf*, præ-  
terlabentis fluminis, quod illi *VERBEIAM*  
ex arcta nominum affinitate dixisse auspicor.

Zzzzz VER-